N. 1093.

CURRENDA IV.

A. D. 1870.

N. 635.

Sua Sanctitas, Beatissimus Pater mittere ad Nos dignabatur in sequentibus publicatas litteras, quibus Benedictio nuntiatur omnibus Christi fidelibus, qui pro aerario Pontif. obolum devoto animo obtulerunt.

Pius P. P. IX.

Dilecte Fili salutem et Apostolicam Benedictionem. Gavisi sumus, Dilecte Fili, eo devotionis et amoris testimonio, quod et epistolae tuae significationes et adjecta Tarnoviensis populi oblatio praeferebant. Licet enim adversitas temporum eam Nobis, sicut plerisque Ecclesiarum Pastoribus, conditionem fecerit, ut ope reapse egeamus filiorum Nostrorum; multo tamen suavius afficimur offerentium affectu quam munere, cum nihil magis optemus, quam arctam fidelium conjunctionem cum Nobis eamque mentium et cordium unitatem, cujus hujusmodi dona pignora sunt et effectus. Pergratum itaque tibi et populo Tarnoviensi profitemur animum; ejusque ac paternae Nostrae benevolentiae testem tibi et ipsi Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 5 Februarii 1870.

Pontificatus Nostri Anno XXIV.

Pius PP. IX. m. p.

Continuatio motivorum.

XXI. Si, ut Jeremias, bene cognosceremus et sentiremus miserias et necessitudines nostras: *Ego vir*, ait Thren. 3. *videns paupertatem meam:* si compateremur miseriis aliorum nobis commendatorum, et tot calamitatibus publicis et particularibus, quibus remedium adferre debemus precibus ab Ecclesia institutis: an illas recitare possemus tanto cum tepore et indifferentia? Petimus multa et magna; ast non ea petimus ex intimo corde. Estne hoc orare, et rogare gratiam et misericordiam, dum ore tantum proferimus verba ardentissima et igne plena,

absque eo, quod cor intus ardeat, aut animus ipsemet sciat, se orare et rogare? Si coram Judice tuo esses, inquit Augustinus, et admissus ad audientiam rogares eum, ut Tribunal ascenderet ad te audiendum; et si tu interea non amplius de eo cogitares, et de aliis omnino negotiis tractares cum aliis personis praesentibus: quomodo Judex iste pati posset ejusmodi contemptum? *Quomodo*, petit a te S. Cypr. *te audiri a Deo postulas, cum te-ipse non audias?* Igitur levemus corda nostra ad Dominum, si exaudiri optemus: effundamus in conspectu ejus preces nostras cum fervore et devotione: imitemur Psalmistam dicentem Ps. 141. *Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio:* Dicamus cum Ecclesia: *Sursum corda: habemus ad Dominum.*

XXII. Quamvis cum Psalmista Ps. 140. Dominum rogare deberemus: *Non declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis*; et proinde excusationes hujusmodi numquam praetexere: multi tamen adeo sunt obcaecati, ut excusare velint distractiones voluntarias et negligentias suas in recitatione divini Officii sub praetextu nimiae longitudinis. Quare cum languore, fastidio, et mira praecipitantia munus illud obeunt; ita quidem, ut vix inchoarint, quin finiisse optent. An igitur tempus utiliori et suaviori modo transigi potest, quam in laudando Deum? Quomodo adimplendi muneris sui taedere potest eum, qui illud diligit? Quilibet exercitium professionis suae quaerere, in eo delectari, atque eo libenter gaudenterque perfungi solet: et ecce! praeclarissima suavissimaque omnium est professio ista, quam profitentur Ecclesiastici: et tamen saepe-saepius exercetur cum fastidio et taedio. Sane, fastidio et taedio simili affici, pudere eos deberet maxime. Profecto non parcus, at potius temporis prodigus reputandus est, quisquis se multum profecisse et accelerasse putat, si integro aut medio quadrante horae citius aliis suum recitet Breviarium.

XXIII. Fastidium taediumque ejusmodi dissipare et auferre debet attenta consideratio exempli et praesentiae Salvatoris nostri Jesu Christi. Ipse nocte dieque praesens est in Ecclesiis nostris pro nobis. Supplicantis personam ibidem gerit sub accidentibus modici panis; ibidemque necessanter pro nobis orat, offerens vulnera sua, et Sanguinem, quem pro nobis in ara Crucis fudit. Et quomodo, ipso praesente, taedio affici possumus? ex intimo tabernaculi nobis dicit, ut olim tribus suis dilectissimis Discipulis: *Non potuistis una hora vigilare mecum.* Matth. 26. Quid! ego, inquit, unice pro vobis occupor: *Totus in usus nostros impensus*, ut loquitur Bernardus. Et vos non sine molestia et taedio, identidem mecum estis: et, quam potestis citissime, inde aufugitis? Enimvero talis exprobratio audiri nequit ab eo, in cujus corde regnat amor Dei, quin protinus commoveatur ardentique zelo et desiderio inflammetur praeteritas negligentias et tepores reparandi attentione continua et veneratione perenni in praesentia Domini supremi, a quo omnia nos oportet expectare, et cui omnia debemus.

XXIV. Frequens orationis usus non deberet nos taedio afficere, ast potius nos magis magisque excitare, novoque accendere fervore ad adorandam supremam Dei Majestatem, amandam ejus gloriam, cantandas ejus laudes, benedicendam ejus justitiam, agnoscendam nos-

tram dependentiam, ad nos ipsos ei ex toto offerendos, ad cultum infinitae ejus magnitudini reddendum humiliatione nostri corporis, oblatione ac sacrificio nostri cordis. Exercitia Religionis ei sunt semper, et ubique debita. Oratio bene facta est Deo gratissima, laetificat Angelos et Beatos, ut ait Chrysost. Et quomodo talis nos occupationis taedere potest? Jesus Christus integras transigebat noctes orando Patrem ad impetrandam pro nobis misericordiam: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. 6. *Orat ergo Dominus*, inquit Ambrosius, *non ut pro se obsecret, sed ut pro me impetret.* In quo sane nobis praebet exemplum, quod imitemur. *Quid enim*, addit idem, *te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat?* Qui amat Deum, dulcissimam semper reperit in ejus praesentia consolationem: *Non habet amaritudinem convictus illius, neque taedium conversatio ejus.* Sap. 8.

XXV. Unicum spei nostrae objectum, scopus ac finis nostrarum actionum universarum, debet esse gloria Dei, possessio summi boni, Societas Angelorum et Beatorum incessanter Deum laudantium et benedicentium. Hae laudes, hae gratiarum actiones, an eis videntur nimis longae? an earum pertaesi aut fastidiosi fiunt? minime: at potius torrente voluptatis inebriantur ad satietatem: *Torrente voluptatis tuae potabis eos.* Ps. 35. *In saecula saeculorum laudabunt te.* Ps. 85. O occupatio suavissima! o felicitas inaestimabilis! *Bonum est, nos hic esse*, cum Petro dicunt. O coelestis Jerusalem, ubi per totam aeternitatem cantantur pulcherrima Cantica. Elevemus ac introducamus cogitationes nostras in hoc splendididissimum Divinitatis palatium: admiremur societatem illam Sanctorum: perpendamus eam, qua gaudent, felicitatem, nobis quoque praeparatam, si illorum imitemur exempla. Quid! an igitur fastidio affici possumus facientes, prout modo in nostra est potestate, quod speramus posthac facere tam perfecte, tamque gaudenter? Longa nimium haud nobis aeternitas erit ad fruendum ineffabili ista satisfactione: et longae nimium nobis videbuntur aliquae diei aut noctis horae ad nos ad id praeparandum illudque promerendum?

XXVI. Laudantibus assidue caeteris creaturis Dominum modo suo, an hominem taedebit laudare Creatorem suum, ad cujus imaginem ipse solus creatus est? Id sane non tantum valde indecorum; sed et, teste Cassiodoro in Ps. 102. grande foret sacrilegium. Coelum adorat eum: Stellae, ex quo formatae fuerunt, *dixerunt ei, adsumus: et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit eas.* Baruch 3. *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum: dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.* Ps. 18. Arbores sylvarum, flores camporum et hortorum, animalia terrestria, aquatilia, et volatilia, verbo, omnes creaturae laudant Dominum: an igitur homo, qui in terra constitutus est ad honorandum, benedicendum, orandum Deum, solus deerit tam pio et honorifico Officio? et illi, qui inter homines ad id munus electi et peculiariter destinati sunt, illo fungentur absque respectu et devotione, cum nausea et praecipitatione? animemus nos ergo ferventi devotione, et ad exemplum Davidis, invitemus Angelos omnesque Beatos, mortales omnes universasque creaturas ad laudandum Deum, eumque nobiscum benedicendum: *Laudate Dominum de Coelis.* Ps. 148.

XXVII. Descendamus paululum cogitationibus nostris ad inferos, ad regionem illam lacrymarum et ploratuum, quorum numquam erit finis; *in hunc locum tormentorum* Luc. 16 et maledictionum, ubi daemones et damnati in aeternum exclusi ex Sion coelesti, numquam cantabunt dulcia, quae illic cantantur, Cantica. Consideremus sempiternos illos fletus, quos nulla umquam vel minima consolatio, nequidem ad momentum, suspendet aut interrumpet: perpendamus stridorem illum dentium, qui est evidentissimum desperationis signum, quae equidem aliquatenus perpendi, at non valet explicari: meditemur flammas illas inextinguibiles, quas sempiterna accendit ira. Quam tunc comparationem instituere poterimus divini Officii longitudinem inter et horribilem illam aeternitatem tormentorum? formidabiles damnatorum clamores inter et cantum Psalmorum? blasphemias reproborum inter et preces laudesque Dei? O quanta differentia! O quanta est felicitas laudare et benedicere Deum! eo magis quod laudando et benedicendo Deum mereamur et obtineamus misericordiam divinam, et gratiam; qua evitemus miserias et mala illa sempiterna, quorum vel sola cogitatio horrorem ingerit et pavorem.

XXVIII. Aliud quoque motivum efficacissimum ad nos inducendum, ut bene fungamur nostro officio, est recordatio divinae praesentiae: *Deus totus oculus est*, ait divus Augstin. Hic oculus omnia intuens ac perspiciens semper in nos est defixus et intentus; praecipue dum oramus. Ipse considerat constitutionem nostram exteriorem: *Omnes viae meae in conspectu tuo*, P. 118. Praecipue vero considerat dispositionem nostram interiorem: *Intuetur cor*, 1. Reg. 16. Numquid deberemus tremere ac trepidare in praesentia illius, qui dicitur et est *Rex tremendae Majestatis?* Angeli tremunt prae veneratione et respectu in praesentia supremae hujus Majestatis: *Tremunt potestates.* Et nos viles homunciones audemus in conspectu ejus nos gerere sine respectu, et cum animo distracto? Duo isti Cherubim, de quibus Exod. 25. semper *respiciebant se mutuo versis vultibus in propitiatorium.* Id sane docere nos debet, quod semper cum respectu et reverentia recordari debeamus divinae praesentiae, versosque habere vultus seu oculos mentis in illam. Audiamus ac imitemur Prophetam Regium dicentem Ps. 24. *Oculi mei semper ad Dominum.* Et iterum Ps. 122. *sicut oculi ancillae in manibus dominae suae; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* *(Continuatio seq.)*

Continuatio

Casuum liturgicorum.

36. Cooperator in Ecclesia filiali celebrans panem jam obtulit; minister vero urceolum vini porrecturus altare offendit et vinum totum effundit. *Quaer.* Quid faciendum sit, cum intra tres horas aliud vinum afferri non possit? *Resp.* Missa statim abrumpenda et Philippo ab altari recedendum est; etenim non licet alteram tantum speciem consecrare.

(S. Alphons. lib. 6. tract. 3. c. 1. dub. 2. n. 195.)

37. In quadam parochia S. Sebastianus est Patronus principalis Ecclesiae. *Quaer.* Quo ritu ejus Officium unacum Missa celebretur, utpote separandum a S. Fabiano? *Resp.* Officium sub ritu dupl. 1. cl. fit totum de Communi unius Martyris non Pontificis praeter Lect. I. Noct., quae recitandae sunt ex Comm. plur. Mart. (Fratres debitores sumus) cum Oratione *Praesta quaesumus, ut intercedente etc.*, ac Missa *In virtute tua* cum Evangel. Officii cum Glor. et Cred. Festum autem S. Fabiani transfertur.

(S. R. C. 13. Aug. 1695, et 2. Maj. 1801.)

(Idem suo modo observetur in aliis festis Sanctorum conjunctorum, si illos separari contingat.)

38. Neosacerdos, dum in Missa oculorum elevatio injungitur, elevat quidem oculos, crucem vero non aspicit. *Quaer.* Num Rubricis satisfiat? *Resp.* Negative; nam in elevatione oculorum juxta Rubricas crux aspicienda est, uti declaravit S. R. C. 22. Jul. 1848.

39. Titus sub celebratione Missae recordatur, se nullam aquam commiscuisse vino. *Quaer.* Quid illi agendum sit? *Resp.* Si Titus hujus suae omissionis recordatur ante consecrationem calicis, licet Hostia jam consecrata sit, quantocius debet affundere aquam, graviterque peccaret id negligens, quamvis consecratio solius vini fuerit valida. Si vero Titus hujus omissionis nonnisi post consecrationem utriusque speciei recordatur, debet Sacrificium absolvere nec aliquid affundere, cum permixtio aquae non sit de essentia Sacramenti, et aliunde Ecclesia ordinaverit, aquam affundendam et commiscendam vino, non sanguini Jesu Christi, qui tunc est in calice.

(S. Alphons. lib. 6. tract. 3. c. 1. dub. 4. n. 208. R. 2. 4.)

40. Sacerdos, vini fastidio laborans, in celebratione purificationem calicis et ablutionem post Communionem perficit sola contentus aqua. *Quaer.* Num licite? *Resp.* Negative; peccat in re gravis momenti, mutans caeremonias Missae, quod a Concilio Tridentino prohibitum est.

(Sess. 22. Decret. de observ. et evit. in celebr. Mss. Alph. lib. 6. tr. 3. cap. 3. dub. 5. n. 408.)

41. Dum Sacerdos quidam post consecrationem crucem super calicem format cum s. Hostia, haec cadit e manu in calicem. *Quaer.* Quo ritu prosequendum sit Sacrificium? *Resp.* Si Celebrans commode extrahere potest ex calice partem s. Hostiae non madefactam, Missa continuanda est, quin aliquod repetatur, et cum hac parte caeremoniae ordinariae peragendae sunt usque ad finem Sacrificii. Verum si s. Hostia ita madefacta est, ut Celebrans ne partem sensibilem quidem siccam habere possit, omissis omnibus crucibus et caeremoniis circa s. Hostiam et cum s. Hostia peragi solitis, Missa continuanda est usque ad sumtionem et tunc simul corpus cum sanguine Domini sumendum, dicendo: „Corpus et Sanguis Domini etc.

42. Cooperator sumto s. sanguine et prima ablutione, advertit aliquot guttulas, de quibus dubium est, num sint s. sanguinis an vini. *Quaer.* Quid ipsi sit faciendum? *Resp.*

Eas guttulas non extergat purificatorio, sed calicem gyrando cum purificatione uniat et tunc hanc sumat.

43. Sacerdos in die solemni Nativ. Domini in secunda Missa ex errore loco vini aquam in calicem infudit et super eam verba consecrationis protulit, attamen errorem, cum eandem aquam sumserat, advertens novum vinum, juxta Missalis praescriptum, consecravit ac postmodum hausit. *Quaer.* Num tertiam Missam celebrare possit? *Resp.* Negative; nam jejunium naturale sumta aqua, quam putavit vinum consecratum, revera fractum erat. Consecratio autem novi vini et sumtio ejusdem consecrati in secunda Missa post sumtam aquam pertinebat ad perficiendum Sacrificium, quod praevalet Ecclesiastico praecepto de non sumenda Eucharistia nisi servato jejunio.

44. Cooperator in Natali Domini tres Missas in continuo celebrans, in prima post sumptum s. sanguinem uti in secunda tota et in tertia usque post Communionem quoad genuflexiones etc. se gerit, ut in Missa coram Sanctissimo exposito, putans in calice, qui, si ab altari non receditur, non est purificandus, species s. sanguinis aliquas adhuc adesse. *Quaer.* Num rite se gerat? *Resp.* Negative; nam Rubricae nihil de genuflexionibus dictis praescribunt.

(S. C. R. 20. Jul. 1686.)

45. Sacerdos quidam, qui aquam pro vino in calice habebat, ea sumta errorem detexit, sed ne coram populo altare circumstante admirationem moveret, Missam more consueto ad finem duxit; depositis vero sacris vestibus in aliam ecclesiam, isto die a nemine visitatam cum aedituo perrexit, ubi novum vinum consecravit. *Quaer.* Quid de hoc casu judicandum? *Resp.* Sacerdos ille multipliciter deliquit; nam 1) rubricas in tali casu observandas metu non excusando neglexit; 2) prius sacrificium imperfectum reliquit; secunda enim consecratio erat inchoatio novi Sacrificii, missa priori per reditum in Sacristiam et depositionem s. vestium penitus finita, non autem complementum prioris Sacrificii; 3) secundum quoque Sacrificium fuit imperfectum; 4) s. sanguinem noviter consecratum fracto jejunio sumsit; 5) applicationem obligatoriam Missae non complevit, quare tenetur istam supplere alia Missa.

46. In quadam Ecclesia filiali habentur per annum omnes functiones sacrae, excepta benedictione cerei Paschalis et fontis baptismalis. *Quaer.* Quem ritum in Sabbato sancto Celebrans in Missa ibi observet? *Resp.* Cum in Sabbato s. celebrationes Missarum privatarum omnino prohibeantur et unica tantum Missa conventualis *una cum Officio ejusdem Sabb. sancti* celebretur *(S. R. C. 11. Mart. 1690.)*, in illa Ecclesia celebrari non poterit; si vero speciali indulto celebrari possit, Sacerdos celebrabit more solito sed sine Introitu.

(S. R. C. 31. Jul. 1821.)

47. Parochus vult, ut Cooperator in Fer. V. in Coen. Domini et in Sabb. s. Missam privatam pro desiderio parochianorum celebret. *Quaer.* Num licite? *Resp.* Cooperatorem

illicitae petitioni sine peccato satisfacere non posse; iteratis enim Decretis Missae privatae in secundo triduo hebdomadis majoris severe prohibitae sunt.

(Decret. Clement. XI. 16. April. 1740. S. R. C. 11. Febr. et 11. Mart. 1690., 28. Mart. 1775., 31. Aug. 1839. etc.)

48. Sacerdos quidam in omni Ecclesia, ad quam pro celebranda Missa accedit, celebrat Missam Officio proprio correspondentem nec unquam ritui alienae Ecclesiae se accommodat. *Quaer.* Num rite agat? ***Resp.*** Negative; Sacerdos enim debet quoad colorem se uniformare Ecclesiae, in qua celebrat. Si igitur recitat Officium dupl. de Martyre et celebrat in Ecclesia, ubi celebratur sub ritu dupl. de s. Confessore aut de s. Virgine, celebrare debet de Sancto, cujus particularis illa Ecclesia celebrat Officium; nam non poterit celebrari de s. Martyre, si color fuerit albus; sicuti etiam non solum quoad colorem, sed quoad ritum se conformare debet alienae Ecclesiae, si ibi peragitur Festum cum solemnitate et concursu populi. Si autem ibi non prohibentur Missae Defunctorum, tunc non tenetur se conformare neque quoad colorem.

(S. R. C. 11. Jun. 1701., 4. Sept. 1745., 7. Mai. 1746., 29. Jun. 1752., 7. Sept. 1816. et 16. Dcbr. 1818.)

49. Sacerdos quidam solet in Missa, calice post Communionem reposito in medio altari, Velum supra bursam plicare. *Quaer.* Num rite? ***Resp.*** Negative; etenim tam in principio Missae, quam post Communionem calix debet esse totus velatus in parte anteriori.

(S. R. C. 12. Jan. 1669.)

(Continuatio seq.)

N. 4685.

Rozporządzenie Wys. c. k. Namiestnictwa o alumnatyku wydane 23. grudnia 1869. do L. 55807.

Ponieważ dotychczasowy sposób spłacania należytości alumnatyku z góry okazał w praktyce wiele niedogodności połączonych z ciągłą pisaniną i częstemi sprostowaniami raz już sporządzonych wykazów; przeto wzywam Przewiel. Konsystorz, aby począwszy od roku 1870. dotyczące alumnatyku wykazy, nie z początkiem, ale aż po upływie każdego roku przedkładał i w tym względzie trzymał się słów tutejszego rozporządzenia z dnia 23. Października 1859. L. 44461. jako jedynie w téj sprawie obowiązującego.

Lwów dnia 23. Grud. 1869.

Wielebnemu Duchowieństwu do zastósowania się.

N. 755.

Okólnik Prześwietnego c. k. Namiestnictwa z dnia 16. Lutego 1870. b. r. do L. 3813. odnoszący się do ślubów pensyonowanych oficerów.

Z powodu szczegółowego wypadku, że pewien jako półinwalida pensyonowany c. k. oficer przypuszczony został do złożenia slubów małżeńskich bez wykazania się przyzwoleniem właściwéj władzy wojskowéj, poleciło mi wysokie c. k. Ministerstwo Wyznań i Oświécenia pod dniem 18. Stycznia b. r. do L. 321., abym w myśl reskryptu wys. c. k. Ministerstwa obrony krajowéj i bezpieczeństwa publicznego z dniem 24. Grudnia 1868. do L. 3878. zwrócił uwagę Przewielebnego Konsystorza na to, że §. 52. Ust. wojskowéj z dnia 5. Grudnia 1868. (Dz. p. p. N. 151.) uwalniający w sprawach małżeńskich pensyonowanych oficerów i urzędników wojskowych, tudzież inwalidów patentalnych nieumieszczonych w domu inwalidów, od dotyczących przepisów wojskowych, odnosi się tylko do tych oficerów, stron wojskowych, urzędników wojskowych, stron niższych i sług armii, którzy jako *zupełni* inwalidzi lub z innego powodu *stale* są pensyonowani, tudzież do inwalidów patentalnych i rezerwistów, gdy przeciwnie dla czasowo pensyonowanych wojskowych daléj dla oficerów, którzy jako półinwalidzi pensyonowani i do służby miejscowéj notowani są, tudzież dla żołnierzy, umieszczonych w domu inwalidów obowiązują i nadal postanowienia najwyższego reskryptu z dnia 30. Sierpnia 1861. o małżeństwach w c. k. armii lądowéj, ogłoszone rozporządzeniem c. k. Ministerstwa wojny z dnia 14. Września 1861. do L. 3851.

O czém wszystkich dusz Pastérzy zawiadomić należy,

Lwów dnia 16. Lutego 1870.

Udziela się Wielebnemu Duchowieństwu do ścisłego przestrzegania.

W Tarnowie dnia 25. Lutego 1870.

Ex mandato Illustrissimi ac Rever. Praesulis

Franciscus Ser. Szlosarczyk,

Officialis ac Vicarius generalis.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae die 12. Martii 1870.

Cyprianus Netuschill,

Cancellarius.

Tarnoviae, 1870. Typis Anastasii Rusinowski, Typographi Episcopalis. Impensis Consistorii.